



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

30. S. Andreas Apostolus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetuâ defensione conserva,  
Per Christum Dominum nostrum.  
Amen.

Festum Gloriosissimi, & Invi-  
sissimi Apostoli S. Andreae.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**lli! possumusne & nos cum Divo  
Andrea gloriari: *Repletus sum con-*  
*solatione, superabundo gaudio in omni*  
*tribulatione.* O utinam! at potius con-  
tristamur; quia in homine nostra quaerimus  
gaudia. Miramur, nos non magna operari.  
Causam habere mi chare!  
Quia non magna speramus de caelo.  
Tantum per nos operabitur Deus, quan-  
tum se nostra in eum protenderit confi-  
dentia. Dextera Excelsi nobiscum!  
hanc apprehendamus: & rebûs etiam  
perditis, omnibusque hominibus nos  
persequentibus, erit, qui & nos servet,  
protegat, & salvet.

*Instructio meritoria.*

Curramus (si hominem quaramus)  
ad Sanctum Andream, & ut suam nobis  
coram

coram Deo promereatur in patiendo consolationem, S. Rosarium de mysterioribus dolorosis offeramus. Non est gloria nisi in gloria Domini.

## II.

**S**. Andreas vocatus à Christo, statim relictis retibus secutus est eum. *O statim!* quàm hominibus es rarum, dum pro Deo, vel proximo quid boni operis, aut charitatis præstandum! Quæ facienda sunt, præstat citò expedire, ut & curam amoveamus, & facti lætemur conscientiam. Qui citò dat, bis dat; geminat facti laudem celer executio. Quoties nocuit distulisse? Puncto sæpe verifatur æternitas; & momentò unicò salus negligi potest perpetua.

*Instructio meritoria.*

Abnegatio nobis necessaria est voluntatis propriæ. Vocati ad quæcunque obedientiæ opera, hodie statim prope-remus, etiam iis imperfectè relictis, quæ prius erant sub manibus. Ad tria Salvationis Angelica signa flectamus in sancto timore, & devotione summa recitemus: *Angelus Domini. Ecce Ancilla Domini.*

*Domini: Et Verbum Caro factum est.*  
 O quanta in his latet Jesu, Mariae & An-  
 geli obedientia! & illam moretur, aut  
 renuat homo?

## III.

**C**harissime! Crux Andream, non  
 Andreas Crucem portavit. Non  
 sentit manum Dei ferientis, qui eam fre-  
 quenter exosculari didicit. Nil labori-  
 osius in mundo voluntate rebeli, impa-  
 tiente, & reluctante. Impatentia nulli  
 medetur malo, nullum extenuat, omne  
 augmentat; non aliâ hoc, quàm feren-  
 dō arteminuetur. Nolendō pati, ma-  
 lum addimus malo. Quis ò Bone! no-  
 bis inferet quid mali, si, quod infertur,  
 numeremus inter bona? Ita numeravit  
 S. Andreas! hinc spectaculum factus pa-  
 tientiae Christianorum.

*Instructio meritoria.*

Tempore tribulationis cum sanctis  
 Apostolis, & Martyribus frequenter di-  
 camus: *Deo gratias!* ò quàm proficua  
 hæc foret exercitatio, dummodo quo-  
 tidiana! Ut obtineamus, hodie unum  
 quadrantem pro lectione de patientia  
 Chri-

Chri-

Christiana assumenda nobis peculiariter determinemus, & pro immisiss hactenus tribulationibus cunctis *quindecim Pater & Ave* cum psalmo: *Deus in adiutorium meum intende* persolvamus. Hæc maxima hominis gloria, gloriari in Cruce Domini.

Festum Beati Joscionis insignis  
Mariophili.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Fili! novum audiamus Mariam amoris inventum. Beatus Joscio tot Psalmis, quot constat litteris, quotidie honorat Nomen Mariæ. Sic amor oriatur nunquam. Semper nova & nova excogitat pro Deo, & Maria.

*Instructio meritoria.*

Non degeneremus à cogitationibus tam excelsis, & omnibus saltem Sabbatis, acque Profestis Reginae Cœlorum illis quinque Joscionis Psalmis: *Magnificat: Ad Dominum: Retribue: In Convertendo. Ad te levavi,* honoremus Mariam. Addamus in fine Antiph. *Sub tuum presidium* cum collecta: *Concede*